

rit, inscriptione, quae id testatur, instruxit), 336 (quem quidam de Hoenegg, signifer saxonius, inter alia spolia reportavit et Joanni Henrico de Schönberg, quod hic manu sua testatus est, donavit), 365 (olim Seebischii), et praecipue 368, qualia utinam plura exstent illius diei monumenta! — (Vide quae in Catalogo ad hunc librum notavi). — Expugnationis St. Maurae, A. 1684, spoliū habemus Cod. 390, a milite italico ibi reperi- tum; expugnationis Coronae, A. 1685, plura: 155, 247, 305 (tres Coronas a Jentschio, Pastore castrensi, inde reportatos et Bibliothecae nostrae donatos), quibus accensendi sunt 265 et 273, hic quidem Romae a Götzio emtus. — Budae A. 1686 receptae spolia apud nos sunt haec: 157, 183 (ille a Weidmanno emtus, hic a Seebischio), 242 (e Bi- bliotheca Mauritii Wilhelmi, Ducis Saxonico-Cizensis, qui haec in eo notavit: Liber hic in direptione urbis regalis ungaricae Budensis 1686 a milite Saxonico in praedam actus ad me pervenit mense Dec. dicti anni; quem in memoriam tantae victoriae servo), 374, 375, et sine dubio etiam 352—6. Operis Bochariani duo volumina, 374 et 375, Budae fuisse, ejus rei gravissimum habemus argumentum. Testatus est enim ipse Mustafa-Pā- schā, Beglerbeg Provinciae Budensis („*Emīr-el-umerā fī-wilājethi-Budūn*“) inscri- ptione turcica in folio primo Cod. 374 posita, se A. H. 981 (Chr. 1575—4) scholae et templo a se Budae conditis hoc opus cum aliis legasse, et praeterea praecepit, quibus cautionibus adhibitis libri ab Imamo, cui illorum in templo asservandorum neque unquam ex urbe dimittendorum custodia commissa erat, scholae alumnis et aliis commodandi es- sent, et quomodo idem ille Bibliothecarius a cujusque anni initio legatorum Curatori li- brorum bene custoditorum rationem reddere deberet. — Ex urbe Belgrad, A. 1688 vi- capta, per Weidmannum ad nos pervenit Cod. 401, in quo legitur ejus, qui librum in praedam egit, inscriptio. — Deinde A. 1718 e bibliotheca Mauritii Wilhelmi, Ducis Sa- xonico-Cizensis, illo anno mortui, ad nostram accesserunt Codd. 242 (de quo vide su- pra), 285, 311, 449. — A. 1726 Polonus nobilis, Derengowsky, „instigator coronae in regno Poloniae“, codices orientales, quos sat multos Constantinopoli collegerat, Biblio- thecae obtulit. Legatum francogallicum illos 30,000 florenis polonicis licitum esse ajebat. Ex iis certe insigniores et utiliores emti esse videntur. Sed haud constat, qui sint et quomodo differant ab illis qui emti sunt ab Interprete polonico apud Portam othomani- cam, Francisco de Julianis (de' Giuliani), in quorum nonnullis hujus ipsius exstant glos- sae et adnotationes polonicae, ut in Cod. 68. Nam hunc cum multis aliis e 155 codici- bus prioribus pertinere ad libros Julianeos, probabiliter colligitur ex his verbis quae Reiskius codici 390 inscripsit: „Habetur hic ipse liber (sc. Wekaja) cum expositione turcica inter codices a Gjuliani comparatos, No. 81.“ Vides, Reiskium significare No. 81 no- strorum Codicum, qui Wekajam cum paraphrasi turcica continet. Sed quicquid rei est, id certe constat, Codices nostros 155 priores, quos Reiskius in Catalogo suo recensuit, paullo ante quam ad nos pervenirent, omnes aut tantum non omnes fuisse in manibus illius Jan (i. e. Joannis) Charuski Papaz-zadae (i. e. cujus pater erat sacerdos Ecclesiae graecae), de quo vide quae notavi ad Codd. 59, 133 et